Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

quousque congruum de hoc caperet consilium
Congregati sunt fideles orthodoxi. habitumque concilium in eodem loco cum eisdem
ecclesie patribus. Quibus ait rex. Quia
nobis divina lex uox scriptis innumerabilibus et terrore suum et honorem loquitur
estisque divini concilii sectarii et precones.
non meam voluntatem. sed sempiternam potius maiestatem. ut ex vobis
eligatur. in quem firmissimus sancte ecclesie paries secure innitatur. Ammoniti quippe
consulta agentes. nunc hunc. nunc illum. alterum
et alterum nominabat. quem esse idoneum
estimabat. Diu multumque frustratis. fuit aliquis ibi qui diceret. ex privilegii
censura Fuldensem exigi pastorem. eo quod
tercium antistitem sedis Magontine mittere Fuldense deberet ovile. Placuit
itaque regi differre concilium. Consulta
igitur privilegia eadem loquebantur. et priorum
regum in hoc consensum testabantur. Communi vero consilio. senatus super hoc habendus dilatus est. quo adhuc homo non invenitur.
Igitur et abbas Richardus adductus ex privilegiis eadem ratus venturum. disposita domo
sua. multorum ibidem cum lacrimis prosequentibus. curtim pergere iter aggressus est.
Ibat quidem gravibus meditacionibus et
anxius. spe biformi in incerta raptatus.
anne fieret ex deditus episcopus. sed parum cupidus terrene potestatis. expectabat
tamen velle divinitatis. Quare sic ait
psaltes egregius. in te domine speravi non confundar in eternum. de incertis cito certus
factus. eo quod inviolata spe omnibus
suis deum advocaret sedulus. de his que
ad se non pertinebant pergravari diu permissus non est. Tempore enim umbrifero
cum sole inferiorem mundi hemispherium emerciente terre diametros sui ob-
sistencia tenebras in celum funderet
quod nox dicitur. somnus eciam oblivionis minister. ad diurnas curas ingenii reparator virium quas pridie lassescencium in crastinum reintegrator. egris
se mortalibus infunderet. predictus abbas post vigiliarum hostias lecto reddit.
secundum quod dictum est. iuvenes vestri
visiones videbunt. et senes vestri somnia sompniabunt. somnium vidit. Experrectus quam aurora precedente. iam certus divine voluntatis quis futurus
esset episcopus. post iteratas oracionis victimas. coram stantibus ait. Ne multum
contristemini fratres de me. quasi abstrahar a vobis episcopatus causa. divina largiente Fuldense nobis sufficiat solium.
nam Magontinum expectat alium.
Et divinam presciencia ammiratus.
hac inquit nocte in quodam fui campo
ubi econtra stantem mire celsitudinis
vidi montem. In cuius cacumine quo
ego ascendere non valebam. fratrem
Bardonem stare videbam. sub cuius
pede fons purissimi fluenti saliebat.
Quem quia me celsiorem videbam
diligenter intuitus. virgam in manu eius
quasi oves minantem aspiciebam.
ipsasque oves circumquaque pascentes. Cuius
interpretacionem subiciens continuo ait.
Mons quidem principatus est sublimitas.
virga correpcionis subtilitas. fons
doctrina. quam congereret in eo sapiencia divina. oves autem populi pascendi gramine celestis pabuli. Ille ait electus est.
summe voluntati volente cedam. Qua
in re ammirandi sunt ambo tanti patres. quos intra positos. celeste non
latuit consilium. qui in corpore seiuncti
spiritu spiritale iunxere collegium.